

Argumentum Primum est. Quoniam sexta Synodus concessit Episcopo Constantinopolitano paria privilegia cum iis quæ habet Episcopus Romanus. Sed hoc argumentum supra est confutatum. Alterum argumentum sumit Nilus ex Concilio Chalcedonensi, can. 9 et 17, ubi statuitur: ut si clericus causam habeat adversus alium clericum, ab Episcopo suo iudicetur: si adversus Episcopum, ab Archiepiscopo: si adversus Archiepiscopum, a Primate dioceseos, vel ab Episcopo Constantinopolitano. Itaque ultimum iudicium defertur urbis regiæ œcumenico Patriarchæ.

Respondeo: quis in canone dicatur Primas dioceseos, non omnino constat, et quidem Archidiaconus et Jo. de Turrecremata super can. si clericus XI, quæst. 1. docent, Primum dioceseos vocari Episcopum digniorem et majorem Archiepiscopo, minorem Patriarcha. At Nicolaus I Papa in epist. ad Michael. Imp. scribit, per Primate dioceseos nullum alium significari posse, quam Episcopum Romanum. Quæ sententia verior esse videtur, tum quia auctorem habet graviolem, antiquiorem, doctiorem, tum quia non facile probari poterit, tempore Concilii Chalcedonensis fuisse in Ecclesia, ac præsertim in Oriente, ullos Primates ab Archiepiscopis et Patriarchis distinctos; tum quia vox Græca hujus canonis *ἡγεμῶν* non proprie Primatem, sed Principem significat, quæ vox multo aptius in Summum Pontificem, quam in Primates alios quadrat: ipse enim solus vere Princeps est cujuslibet Christianæ dioceseos.

His notatis, respondeo Primo: eum canonem recte a Nicolao Pontifice exponi loc. cit. ut Concilium decreverit, ut is qui causam habeat cum Metropolitano, adeat Principem dioceseos, id est, Romanum Pontificem; vel si est vicinus urbi Constantinopolitanæ, et vult esse contentus Episcopi illius iudicio, illum adeat: ita ut primum lex generalis constituatur de audeo Papa Romano, deinde permissio quedam addatur pro iis tantum, qui prope Constantinopolim commorantur.

Secundo responderi potest: hos omnes canones non habere robur apud nos, nisi quatenus sunt renovati a Romanis Pontificibus. X. Nam Leo in epist. 59. ad Conc. Chalced. scribit, se Concilium illud approbasse solum quantum ad explicationem Fidei. Et Liberatus in Brev. cap. 12. testatur, istos omnes canones conscriptos fuisse absentibus

Legatis Papæ, qui tamen alioqui Concilio præsidebant. Porro consuetudo, quæ est legitime interpres, apertissime docet, nunquam licuisse ad Patriarcham Constantinopolitanum appellare, nisi ex locis subjectis eidem Patriarchæ: nullum enim proferri potest exemplum, quo intelligamus, ex Occidente, aut Meridie, aut etiam Septentrione ad Orientalem Ecclesiam esse appellatum.

Tertio: etiamsi concederemus, ex toto Orbe terrarum posse recurri ad iudicium Episcopi Constantinopolitani juxta hos canones; non tamen sequeretur, parem esse eum Episcopum Pontifici Romano. Nam ex vi canonis istius Chalcedonensis, solum judicare potest Episcopus Constantinopolitanus eos, qui laesos se arbitrantur a Metropolitano suo; at Papa Romanus judicare potest etiam eos, qui læsi sunt a Patriarchis ipsis, vel a Concilio Episcoporum, quamvis maximo et frequentissimo, ut Athanasii, Pauli, Chrysostomi, Flavianii, et Theodoretii exempla declarant.

Adde Ultimo, quod iste canon Chalcedonensis non est de appellatione, sed de primo iudicio, quod Nilus non animadvertit. Itaque licet ex toto Orbe terrarum quælibet causas judicare posset Episcopus Constantinopolitanus; ab illo tamen appellari posset ad Episcopum Romanum juxta canones Sardicenses. Nec enim Chalcedonenses canones Sardicensibus canonibus ullo modo repugnant. Ita semper remanet ultimum iudicium penes Episcopum Romanum.

CAPUT XXIII.

Solvitur argumentum primum Lutheranorum.

Veniamus nunc ad argumenta Lutheranorum. Obijciunt adversarii primo Cyprianum, qui lib. I, epist. 3. ait: « Nam cum statutum sit ab omnibus nobis, et æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum etc. oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare etc. » Et infra: « Nisi si paucis desperatis ac perditis, minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa consti-

tutorum etc. » Ubi reprehendit eos, qui appellaverant ad Romanum Pontificem, et probat, non debere appellari, tum quia id sit statutum in Concilio Episcoporum, tum quia non est minor auctoritas Pontificum Africanorum, quam Romanorum.

Respondeo: Cyprianum ægre tulisse appellationes eorum, qui de manifestissimis criminibus convicti et judicati fuerant; non autem omnino appellationes sustulisse. Id colligitur ex lib. I, epist. 4. ubi loquens de Basilide, qui damnatus in Hispania ad Stephanum Papam appellaverat, ait: « Nec enim tam culpandus est ille (Stephanus) cui negligenter obrepit, quam hic (Basilides) execrandus, qui fraudulenter obrepit. » At certe si non licuisset Stephano appellationes ullo modo admittere, valde certe esset culpandus, quod appellationem non rejecisset, etiamsi justam causam Basilides habuisset.

Ad illud ergo quod ait Cyprianus ab omnibus constitutum, ut « illic causa audiatur, ubi est crimen admissum, » dico: hoc decreto constitui, ut causa primum iudicaretur, ubi est crimen admissum non tamen prohiberi, quo minus etiam secundo alibi iudicaretur.

Sed dices: At Cyprianus ex hoc decreto probat, non debuisse appellari; igitur prohibet appellationes. Respondeo: Cyprianum non ex hoc decreto arguuntur, sed ex hoc decreto, adjunctis manifestissimis criminibus reorum. Sic enim Cyprianus ratiocinatur: Debet uniuscujusque causa ex decreto Concilii illic audiri, ubi est crimen admissum; horum causa jam audita est, et manifeste crimina eorum detecta sunt; cur igitur Romam appellant, nisi ut forte imponant Pontifici, vel saltem Episcopos vexent, qui de eis judicaverunt?

Adde: quod si hoc decreto prohiberentur appellationes, non solum prohiberentur ad Romanum Pontificem, sed etiam ad quemlibet alium iudicem, ut Magdeburgenses fatentur, Cent. III, c. 7, colum. 176. et verba ipsa indicant, quæ generalia sunt: at absurdissima et ridicula lex esset, quæ omnem appellationem prohiberet; in qua enim quamvis ineptissima Republica, ejusmodi lex tolerata fuit, quæ a nullo iudice appellari permitteret? Hanc ergo legem cum tribuunt Circulatoribus Ecclesiæ Dei, quæ est Respublica sapientissime ordinata, absurdos proresus et ridiculos se exhibent.

Ad illud vero quod Cyprianus addit, non esse minoris auctoritatis Episcopos Africae, respondeo: illud *Minoris* non referre comparisonem ad Romanos Pontifices, sed ad causam de qua tunc agebatur; est enim sensus, Episcopos Africae non fuisse minoris auctoritatis, quam sufficeret ad eam causam iudicandam.

CAPUT XXIV.

Solvuntur alia tria argumenta.

Secundo, obijciunt Damasum, qui in epist. ad Theoph. et Anysium, quæ est 79. inter epistolas Ambrosii: « Cum, inquit, hujusmodi fuerit Concilii Capuensis iudicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus iudices tribuerentur, advertimus, quod nobis iudicandi forma competere non potest. »

Respondeo Primo: epistolam illam non esse Damasi. In operibus Ambrosii tribuitur Ambrosio; sed nec ejus esse potest, cum in illa fiat mentio Ambrosii, langum cujusdam alterius. Itaque incertum est cujus sit.

Secundo dico: si Damasi sit, ut multi volunt, Damasum non dicere, se non posse iudicare, sed non convenire ut iudicet, quod rectissime dictum est. Etsi enim Pontifex est summus Judex: tamen non convenit, ut quando Concilium provinciale aliquid statuit, ipse sine causa aliter iudicet.

Tertio, obijciit Calvinus lib. IV Instit. cap. 7, §. 9. Concilium Milevitanum, in cujus can. 22. sic statuitur: « Quod si ab eis, id est, Episcopis vicinis, provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africanam Concilia, vel ad primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui putaverint appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiantur. »

Respondent aliqui cum Gratiano, qui II, q. 6. can. Placuit, addidit ad hunc canonem exceptionem, nisi forte ad Apostolicam Sedem appelleretur. Sed hæc exceptio non videtur quadrare, nam præcipue propter Romanam Ecclesiam Africanam statuerunt, ut non liceret appellare ultra mare: non enim appellari unquam consuevit ultra mare ab Africanis, nisi ad Romanam Sedem. Neque

est opus confugere ad has angustias exceptionis, cum solutio vera sit in promptu.

Igitur responsio est : canonem istum non esse ad propositum : nam quæstio de appellationibus ad Romanum Pontificem non est de appellationibus Presbyterorum et minorum Clericorum, sed de appellationibus Episcoporum. Siquidem Concilium Sardiense, quod Episcopos voluit posse appellare ad Pontificem, can. 4. et 7. idem voluit causas Presbyterorum et minorum Clericorum terminari apud vicinos Episcopos, ita ut liceat minoribus Clericis appellare a suo Episcopo ad alios Episcopos ejusdem provinciae, ut habet can. 17. Quos duos canones renovari voluit Papa Zozimus, et executioni mandari in Africa, ut patet ex Conc. VI Carth. et ex epist. Conc. ejusd. ad Bonif. Papam.

Porro canon iste 22. Milevitani Concilii, de Presbyteris et minoribus Clericis loquitur, non de Episcopis, ut patet tum ex Augustino, qui huic Concilio interfuit, et tamen scribit in epist. 162. licere Episcopis Africanis appellare ultra mare, Clericis minoribus non licere; tum ex verbis ipsius Concilii, sic enim incipit : « Placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint etc. » Quare totum Concilium Milevitanum probavit Innocentius I in epist. ad ipsum Conc. quæ est 93. inter epist. B. August. quod certe Innocentius non fecisset, si in eo Apostolicæ Sedi derogatum aliquid fuisset. Hinc apparet inscitia et oscitantia Calvini, qui loc. not. dicit, Zozimum conatum esse efficere, ut iste canon Concilii Milevitani, in Concilio VI Carthaginiensi corrigereetur : cum e contrario constet, Zozimum jussisse, ut iste canon confirmaretur, et ad praxim redigeretur.

Sed dices : Si ita est, quo jure Romani Pontifices Apiarium presbyterum ex Africa appellentem susceperunt, et in gradum suum restitui fecerunt, ut referunt Africani Patres in epist. ad Bonif. et in alia ad Cælestin.

Respondeo : licet prohibitum fuerit Clericis inferioris ordinis appellare ab Episcopis suæ provinciae : non tamen prohibitum fuit, nec prohiberi potuit summo Pontifici, ne si vellet eos admitteret. Præterea, Romani Pontifices non tam admiserunt appellationem Apiarii, quam audiverunt ejus querimonias, et mandarunt Africanis, ut ejus causam diligenter cognoscerent, et fideliter judicarent. Apparet enim ex illis duabus

epistolis, bis Apiarium venisse Romam, et utraque vice remissum in Africanam, et ibi in Concilio judicatum post reditum ejus ab Urbe.

Quarto, objicit Calvinus lib. IV Inst. c. 7. §. 40. epist. 162. August. ubi legitur, causam Cæciliani judicatum a Pontifice et quibusdam aliis jussu Imperatoris : et deinde rursus judicatum secundo ab Episcopo Arelatensi, eodem Imperatore jubente : et tertio judicatum ab Imperatore. At si Pontifex jure divino est summus iudex : quomodo non ex se, sed solum jubente Imperatore judicat? Item, si ab eo appellari non potest : quomodo appellatum est in causa Cæciliani, et judicatum post Pontificis sententiam ab Episcopo Arelatensi, et rursus ab Imperatore? Denique, cur sibi socios ab Imperatore adjungit passus est in primo iudicio?

Respondeo ad Primum : Pontifex non judicasse, nisi quando Imperator adjunxit, quia Donatistæ causam illam non detulerunt primo ad Pontificem, ut debebant, sed ad Imperatorem. In quo eos male fecisse, docet Augustinus ibidem, ut etiam dicit, Constantinum Imperatorem longe ordinatum egisse, qui causam ad se delatam non ausus fuit judicare, sed eam ad Pontificem misit.

Ad secundum dico : Pontificem permisisse secum sedere alios ab Imperatore assignatos, ut satisfaceret Donatistis, quibus Romanus Pontifex suspectus erat.

Ad tertium dico : post Pontificem judicasse Episcopum Arelatensem, et postea Imperatorem, non quia oportebat, ut ibidem ait Augustinus, sed ut omnino obstrueretur os Donatistarum. Itaque Imperator, ut ibidem ait Augustinus, veniam petiturus ab Episcopis, causam illam invitus cognovit.

CAPUT XXV.

Solebitur argumentum ultimum.

Postremo, Calvinus loc. not. et Magdeburgenses Cent. V. cap. 9. et etiam Græci in Conc. Flor. sess. 20. sed præcipue Illyricus in lib. de hist. Conc. VI. Carthag. argumentum, ut ipsi credunt, fortissimum petunt ex hist. Conc. VI. Carthag. cujus hæc est summa.

Zozimus Papa ab Africanis per legatos petiit, ut tres canones Nicæni Concilii executioni mandarent : unum de appellationibus Episcoporum ad Romanum Pontificem : alterum, de appellationibus presbyterorum et minorum Clericorum ad Episcopos vicinos : tertium, de non eundo ad comitatum, id est : ne irent Episcopi Africani ad aulam Imperatoris.

Africani his mandatis acceptis, Concilium nationale 217 Episcoporum coegerunt, et Pontifici Bonifacio, qui Zozimo interim mortuo successerat, responderunt, se non invenire eos canones in Nicæno Concilio, propterea se scripturos ad Patriarchas Orientis, Constantinopolitanum et Alexandrinum ut ad se mittant authentica exemplaria Nicæni Concilii : interim tamen se eos canones servaturos, salva diligentiore inspectione authenticorum exemplarium. Interim venerunt a Cyrillo Alexandrino et Attico Constantinopolitano exemplaria Nicæni Concilii, et in iis non sunt inventi isti tres canones, sed tantum viginti illi, qui habentur in hist. Ruffini lib. X. cap. 6. quam etiam historiam Cyrillus in epist. ad Afric. citat.

Cum igitur Africani non invenissent in exemplariis ab se missis illos canones, scripserunt Cælestino Papæ, qui Bonifacio successerat, ut quandoquidem in Nicæno Concilio illi canones non inveniebantur : deinceps non facile admitteret appellantes ex Africa. Hæc habentur in VI Conc. Carthag. et in illis duabus epistolis. Quid autem Pontifex responderit, ibi non habetur.

Super hanc historiam struunt Illyricus et Magdeburgenses immensam congeriem conviciorum et mendaciorum, et præterea duo argumenta. Quod ad convicia attinet, Illyricus in illo suo libro de hac historia, omnium fere Pontificum illius temporis nomina petulantur invertit. S. enim Innocentium, passim Nocerentium vocat : S. Bonifacium, Malefacium ; S. Cælestinum, Infernalem ; S. Leonem, modo infernalem lupum, modo Leonem rugientem appellat.

Ad quam petulantiam retundendam sufficere possunt ipsa acta Concilii Carthaginiensis, et epistolæ ejusdem Concilii ad Bonifacium et Cælestinum, quæ omnia integre suo libello adjecit Illyricus. Quanto enim petulantius et scurrilius Illyricus loquitur de sanctis illis Pontificibus, tanto de iisdem Africanis Patres honorificentius et gravius loquuntur. Vide præterea de laudibus horum Pontificum

Augustinum in epist. 437. ad Optat. et lib. I ad Bonif. et Prosperum ad fin. lib. cont. Colat.

Jam vero mendacia tot fere sunt in libro Illyrici, quod sunt sententiæ : pauca de multis proferam. In ipso libri principio ait, in sexta Carthaginiensi Synodo interfuisse cum Augustino Prosperum, Orosium, et alios insignes viros. At Prosper et Orosius nec nominantur in eo Concilio, nec interesse potuerunt, cum nec Episcopi essent, nec Africani, et Concilium ex solis Africae Episcopis constaret.

Paulo post affirmat Illyricus, cum Bonifacio Papa simul in schismate electum fuisse Eulabium : sed Eulabium a majori parte Cleri, et populi electum tantæ fuisse modestiæ, ut sponte cederet, tametsi alioqui ad eum Pontificatus jure pertinebat. At sine teste hoc dicit Illyricus, et nos contra producere possumus Anastasium Bibliothecarium, qui in vita ejusdem Bonifacii scribit, Concilio Episcoporum 252 ejectum Eulabium, ut injuste ordinatum, Bonifacium vero ab omnibus confirmatum.

Ad hæc Illyricus dicit, et sæpe repetit, Romanos Pontifices ab Africanis Patribus postulasse, jurisdictionem sibi concedi in Africanam, et in omnes alias regiones, et cum toto quinquennio de hac re deliberatum esset, tandem a Concilio definitum, ut nullum jus Pontifici concederetur.

Id vero non solum est mendacium, quia nec tale postulatum, nec talis definitio in eo Concilio reperitur : sed etiam est mendacium impudens, quia sine ulla probabilitate asseritur. Quis enim credat, Romanos Pontifices ab Africanis jurisdictionem postulasse in Asia, et in Europæos? Quis item credat, Africanos Patres toto quinquennio in ista causa laborasse, cum uno verbo respondere possent, se nullum jus in exteris nationes habere, proinde nec aliis posse concedere? An non rideretur, qui a Rege Gallorum jurisdictionem peteret in Hispanos? et Rex ipse nonne ridiculus esset, si quinquennium in ejus rei deliberatione poneret?

Aliud mendacium, idque potissimum et mille repetitum in libro Illyrici, et Centuriis est, Zozimum Papam falsasse de industria et contra conscientiam suam Nicænum Concilium, ut ea fraude jugum imponeret Africanis. De quo mendacio in solutione argumentorum dicemus. His igitur prætermisissis, ad argumenta veniamus.

Primum : Si jure divino Papa est summus Index Ecclesie totius; quare Pontifices non ex jure divino, sed ex Concilio Nicæno jus suum de appellationibus ad Apostolicam Sedem confirmare nituntur? Et cur tot Catholici sanctique Patres Carthaginiensis Concilii jus illud admittere nolunt, nisi in Concilio Nicæno reperitur?

Ad hoc eorum argumentum breviter respondemus : jure quidem divino ad summum Pontificem appellari semper potuisse : tamen an expediret ea potestate uti, et omnibus in locis, non sine causa dubitatum esse; nam utrinque rationes adferri possunt. Si enim passim omnibus appellatio concedatur, facile fiet, ut multi effugiant legitima judicia; ut immerito vexentur Episcopi qui primo judicaverunt; ut causa, alioqui faciles et perspicue, in longum tempus protrahantur. Atque hinc S. Cyprianus lib. I, epist. 3. et 4. non semel conqueritur de iis, qui semel legitime judicati et damnati Romam ad Pontificem provocabant. Et S. Bernardus lib. III de Consider. multa enumerat incommoda, quæ ex nimia frequentia appellationum oriuntur.

Contra vero, si nulli concedatur appellatio, dabitur occasio particularibus Episcopis, ut facile et temere judicent, et tyrannice populos opprimant; necnon, ut existiment, nullum se habere superiorem, nulli rationem esse reddendam; quod nihil esset aliud, quam unum corpus Ecclesie in tot partes scindere, quot sunt Episcopatus.

Itaque cum res dubia esset, Concilium Sardicense generale, ipso citiam consentiente Pontifice, declaravit expedire, ut ordinarie Presbyteris, et aliis minoribus Clericis appellatio concedatur ab Episcopis ad Concilium provinciale : Episcopis autem ad Sedem Apostolicam. Esse autem hanc declarationem non novam concessionem, testantur exempla eorum, qui ante Concilii Sardicenses et Nicæni tempora, omnibus statibus ad Romanum Pontificem appellaverunt.

Cur igitur in Concilio Carthaginiensi Romani Pontifices non jus divinum, sed Nicænum Concilium ad jus appellationum stabilendum proferrent; causa erat, quoniam demonstrare volebant, non solum posse ad se ab omnibus appellari, sed etiam Ecclesie expedire ut ita fieret, quandoquidem generale Concilium idem senserat.

Pari ratione Africani Patres impedire cupiebant ejusmodi appellationes, quoniam

existimabant, eas Ecclesie sue non expedire, lamelsi neque ignorarent, neque negarent, eos absolute impediri non posse. Quocirca in utraque epistola, quam ad Pontifices Romanos de hac causa miserunt, subjectionem suam ad Apostolicam Sedem testantur, dum ad eam referunt acta Concilii, et ejus mandata accepisse se dicunt, et non jubent, sed rogant, ut non facile aures appellantis præbeat. Sed hæc omnia clariora erunt in solutione alterius argumenti.

Alterum igitur argumentum Magdeburgensium et Calvinii, ejusmodi est. Zozimus, Bonifacius, et Celestinus Romani Pontifices jus appellationum ad Apostolicam Sedem ex Nicæno Concilio probare voluerunt; atqui discussa causa, falsatores et corruptores Nicænorum canonum deprehensi sunt; igitur ne humano quidem jure, nedum divino ad eorum judicium provocari potest.

Respondemus primum : Africanos Patres ex ignorantia deceptos; Magdeburgenses et Calvinum ex malitia peccare. Nam Africani in epistola ad Celestinum bis repetunt, in nulla Patrum definitione, et in nulla Synodo se invenisse illos canones; ex quo apparet, eos non habuisse canones Sardicenses Concilii, in quibus tres illi canones disertis verbis continentur, et si eos habuissent, sine dubio acquivissent. Non enim minor est Sardicensis, quam Nicæni Concilii auctoritas; neque major est error citare Nicænum Concilium pro Sardicensi, quam Matthæum pro Joanne, vel Hieremiam pro Zacharia, ut citavit S. Matthæus cap. XXVII. Sicut ergo non possumus vocare Matthæum falsarium, quia idem Spiritus sanctus in Hieremia et Zacharia locutus est; ita nec debuissent summi Pontifices appellari falsarii, etiamsi Nicænum Concilium pro Sardicensi citassent, cum eadem sit auctoritas utriusque Concilii. At Magdeburgenses noverunt Sardicense Concilium, et tanquam legitimum in suam quartam centuriam transtulerunt; ergo necesse est fateantur, Africanos deceptos, et causa excidisse; ergo cum illis nihilominus obstinate victoriam tribuunt, secum pugnant, et ex malitia peccant.

Sed dicet : in isto Conc. VI Carthagini. cap. 6. citatur nominatim Sardicense Concilium; ergo non ignorabant illud Africani.

Respondeo : illa verba, quibus citatur Sardicense Concilium, non esse Africanorum, sed Legatorum Pontificis : ipsi enim ex oim.

monitorio sibi dato a Pontifice Zozimo, illa verba citabant. Et præterea existimo, omnino esse corruptum eum locum, et vel positum a Librariis Sardicenses pro Nicæno; vel quod magis suspicor, ex margine irrepisse in textum illud *Ex Sardicensi Concilio*. Ponitur enim in margine Sardicense Concilium, quia revera verba, quæ ibi citantur, non inveniuntur nunc nisi in Sardicensi Concilio : at nihilominus non debet esse in textu nomen Sardicensis Concilii. Siquidem verba illa citantur ex commonitorio Papæ Zozimi, quod ex Roma Legati attulerant : Legati autem illi ex Nicæno Concilio se canones citare dicebant; unde mox verbis illis recitatis, Augustinus dixit : « Et hæc nos servaturos profitemur, salva diligentiori inquisitione Nicæni Concilii. » Quibus verbis indicat, se accepisse canonem citatum tanquam ex Nicæno Concilio.

Adde, quod Augustinus lib. III cont. Cresc. cap. 34. non agnoscit aliud Sardicense Concilium, quam quoddam hæreticum Concilium Orientalium Episcoporum contra Athanasium. Duplex enim fuit Sardicense, ut patet ex Sozomeno lib. III hist. cap. 10. et 11 unum Catholicum generale supra 300 Episcoporum, quod Augustinus nunquam vidit; alterum hæreticum 76 Episcoporum, quod Augustinus vidit.

Secundo dico : canones Nicæni Concilii, qui sunt apud Ruffinum lib. X hist. cap. 6. et qui missi sunt ex Oriente ad Africanos, sine dubio non esse omnes canones, quos Nicænum Concilium edidit; et proinde probabile esse, hos tres canones, quos Zozimus citavit ex Nicæno Concilio, revera in eo Concilio fuisse. Quod illi canones non sint omnes, probant nonnulli ex epist. Athan. ad Marcum Papam, in qua petit exemplum Nicæni Concilii ex Romani Pontificis scrinio, asserens, exempla quæ erant Alexandriae fuisse cremata ab Arianis.

Sed hoc argumentum ridetur a Magdeburgensibus, et vere non est solidum. Nam illa incensio librorum accidit tempore Constantii Imperatoris, quando, Athanasio expulso, Georgius quidam Arianus in locum ejus ordinatus est, ut ipse Athanasius testatur in epist. ad omnes Orthodox. constat autem ex Chronico Hieronymi, Marcum Papam eo tempore jam fuisse defunctum. Deinde, si Marcus Papa exemplum misisset ad Alexandrinos ex Romano scrinio, certe convenissent deinceps inter se exemplaria Romanum et

Alexandrinum : quomodo ergo in exemplari a S. Cyrillo ex Alexandria ad Africanos missis, deerant isti canones tres, qui inveniebantur in Romano?

Omissa ergo ista Athanasii epistola, probatur canones illos non esse integros. Primo, quia unus ex præcipuis canonibus Nicæni Concilii erat, ut Pascha die Dominico celebraretur, ut patet ex epist. Constant. apud Eusebium lib. III de vita Constant. ex Epiphania hæres. 69 et ex Athanasio in epist. de Synod. Arim. et Seleu. At iste canon non exstat inter illos 20 Ruffini.

Secundo, Ambrosius in epist. 82. docet, in concilio Nicæno statutum, ne bigamus in Clerum asciscatur : at neque hoc in illis 20 canonibus invenitur.

Tertio, Hieronymus præfat. in Judith, asserit, a Concilio Nicæno librum Judith inter canonicos receptum : at non reperitur hoc inter canones Ruffini.

Quarto, Augustinus epist. 110 de design. success. asserit, in Concilio Nicæno prohibitum, ne duo Episcopi simul sedeant in eadem Ecclesia, contra quem canonem se imprudenter fecisse, dolenter refert : at iste canon nusquam apparet inter illos 20.

Quinto, in Concilio Africano, can. 44. asserunt Patres, ex canone Nicæni Concilii non licere nisi jejuniis offerre Eucharistiam : at ubi est iste canon inter illos 20.

Sexto, in fin. Conc. Chalced. Atticus refert, in Concilio Nicæno determinatum fuisse rationem scribendarum formatarum epistoliarum, de quibus loquitur Optatus lib. II cont. Parmen. ubi ait : « Cum quo (Sicario Romano Pontifice) nobis totus orbis, commercio formatarum, in communionis societatem communicat » ; et Concilium Miletitanum can. 20. dum prohibet, ne sine formatis litteris Clerici ad comitatum eant. At hoc nusquam apparet in illis 20 canonibus Ruffini.

Denique Septimo, Lutherus, Calvinus, Centuriatores, et ceteri heretici passim obijciunt ex Socrate, lib. I hist. cap. 8. canonem Nicæni Concilii, in quo dicant permissas conjuges Sacerdotibus : at iste canon non invenitur in illis 20, ergo si Zozimus corruptor et falsator canonum Nicænorum dicitur, quia citavit nomine Concilii Nicæni unum canonem, qui non invenitur in illis 20 canonibus, eadem ratione corruptores et falsatores dicendi sunt Constantinus, Athanasius, Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus,

Augustinus, Atticus, Socrates, Africani Patres, et ipsi Centuriatores, atque etiam Lutherus et Calvinus. Omnes enim isti citant canones Nicæni Concilii, qui in illis 20 non reperiuntur.

Adde Ultimo, quod in Concilio Florentino sess. 20. Joannes quidam vir doctissimus asserit, se multis Sanctorum veterum testimoniis posse ostendere, Concilii VI Carthaginiensis Patres tandem agnovisse, corruptos et falsatos canones Nicæni Concilii ad se ex Alexandria et Constantinopoli missos fuisse.

Dico Tertio : mihi videri probabile admodum, in Concilio Nicæno non fuisse expresse hos tres canones, de quibus agimus, sed a Zozimo, et a Bonifacio vocari hos canones Nicænos, quia Concilium Nicænum et Sardicense pro uno et eodem habebantur, et utriusque Concilii canones simul conjuncti erant in Bibliotheca Romana, tanquam si ejusdem Concilii essent : cujus rei ignoratio Africanos Patres perturbavit.

Rationes quæ me movent, hæc sunt. Prima, quoniam iisdem verbis habentur hi canones in Concilio Sardicensi, quibus eos allegant Legati Zozimi : nec est verisimile, eosdem prorsus canones fuisse in Nicæno Concilio, et tamen non indicare ullo modo Patres Sardicensis, se canones non condere, sed renovare. Itaque existimo, in Nicæno Concilio implicite et obscure decretum, ut ad Pontificem appellaretur, quia nimirum can. 6. jubet Concilium servari antiquas consuetudines, et una est hæc de appellationibus, ut patet ex Leone epist. 89. et ex exemplis supra adductis, et etiam quia jubet idem Concilium, causam semel judicatam, iterum in alio judicari posse, ut patet ex epist. Julii apud Athanas. in II Apol. sed expresse et diserte Concilium Sardicense rem totam explicuit.

Secunda, quoniam in Concilio Nicæno a Dionysio ante mille annos converso ex Græco, quod exstat in monasterio S. Vedasti Atrebat, habentur simul, tanquam ejusdem Concilii, canones omnes Concilii Sardicensis.

Tertia, quoniam aliqui non potest reddi ratio, cur Sardicense Concilium, quod constat universale et probatum fuisse, non numeretur inter Concilia generalia. Deberet enim dici secundum Concilium : sed ideo non addit ad numerum Conciliorum, quia pro uno et eodem habetur cum Nicæno. Cur

autem simul cum Nicæno Sardicense Concilium conjunctum fuerit, ratio est, quia iidem Patres magna ex parte in utroque Concilio interfuerunt, et nihil novi quoad Fidem in Sardicensi definitum est, sed solum Nicæna Fides roborata, cum in aliis Conciliis semper novæ hæreses damnatae fuerint. Itaque Zozimus, non fraude aliqua citavit Nicænum pro Sardicensi, sed quia pro eodem habentur : quod idem dicendum puto de Julio in epist. ad Orient. Innocentio in epist. ad Victric. et Leone in epist. 23. ad Theod. qui hunc canonem citant nomine Nicæni Concilii. Quemadmodum enim Symbolum Constantinopolitanum passim vocatur Nicænum, quia est explicatio Nicæni : ita quoque canones Sardicensis Nicænos appellare solebant Veteres, quod nihil sint aliud, quam explicatio et confirmatio canonum Nicænorum.

Adde Quarto, Carthaginienses Patres nunquam statuisse, ut nullum jus Romano Pontifici in Africam tribueretur : vel ut non liceret ullo modo Episcopis Afris ad Romanam Ecclesiam provocare, neque tantum fuisse dissidium inter Pontifices Romanos et Episcopos Africanos, quantum Illyricus et Calvinus dicunt. Nam in primis ejusmodi decretum nusquam exstat : deinde ipsi Africanus in epist. ad Bonif. et in altera ad Cælestin. concordiam et subjectionem suam ad Apostolicam Sedem apertissime testantur ; sic enim ad Bonifacium scribunt.

« Quoniam Domino placuit, ut de his, quæ nobiscum egerunt sancti fratres nostri, Coepiscopus Faustinus, et Compresbyteri Philippus et Psellus, non beate memoriæ Episcopo Zozimo, a quo ad nos mandata et litteras attulerunt, sed tue venerationi, qui in ejus locum es divinitus constitutus, humilitas nostra scriberet, ea breviter insinuare debemus, quæ utrorumque concordia terminata sunt, in quibus, salva quidem charitate, sed non sine parvo altercationis labore demorati sumus. » Hæc illi. Ubi cum omnia ad Papam referunt quæ acta sunt, et a Zozimo Pontifice mandata se accepisse testantur, an non aperte dicant, se illum ut Superiorem agnoscere? In epistola vero ad Cælestinum : « Prefatio, inquit, debite salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes, non facilius admittatis. » Quibus verbis nec absolute recusant legem illam de appellationibus, nec dicunt, non posse Pontificem si

velit appellantes admittere : sed tantum obsecrant, ut non facile deinceps aures appellantis præbeat.

S. Augustinus in epist. 157. aperte prædicat Romani Pontificis primatum in Africam, cum ait : ex mandato Zozimi, se et alios Episcopos Caseream venisse : et in Orbem Christianum universum, cum hæresim Pelagianam scribit ab Innocentio et Zozimo toto Orbe esse damnatam. Idem Augustinus Bonifacio Papæ subjectus et conjunctissimus fuit, ut patet ex init. lib. adv. duas epist. Pelagian. ad eundem Bonif. Idem quoque in epist. 261. ad Cælestin. Papam. ad ipsum Pontificem refert causam Episcopi ejusdem Africæ, et inter alia sic loquitur : « Collabora nobiscum pietate venerabilis domine beatissime, et debita charitate suscipiende sancte Papa, et jube tibi, quæ directa sunt, omnia recitari. » Et infra : « Existat exemplo ipsa sede Apostolica judicante, vel aliorum judicata firmante, etc. » Et contra, Cælestinus Papa in epist. ad Gallos, miris laudibus effert Augustinum, atque eum dicit in communione Romanæ Ecclesiæ semper mansisse, et a se et prædecessoribus suis doctorem optimum habitum semper fuisse.

Quæ conjunctio Augustini cum Romana Ecclesia manifesti mendacii convincit Illyricum, qui scribit, ab Augustino ejusque collegis Romanos Pontifices tanquam falsarios et corruptores ecclesiasticos refutatos, et ab omni Africana ditione exclusos.

Non diu post illud Carthaginiense Concilium, Sanctus Leo in epist. 87. scribit ad Episcopos provincie Mauritanie in Africa, atque ait, se Lupicino Episcopo communionem reddidisse, quoniam ad se ex Africa appellasset : item se misisse Potentium Episcopum Legatum, qui vice sua res Africanas cognosceret. Aut igitur Concilium Carthaginiense id non prohibuit ; aut certe Patres illi sententiam mutaverunt.

Rursum, post annos circiter 40, S. Eugenius Carthaginiensis Episcopus, cum a Rege Hunerico Ariano ad collationem de Fide compelleretur, respondit, se scripturam ad collegas suos transmarinos : nec enim sine consensu aliorum Episcoporum et præcipue Romanæ Ecclesiæ, quæ Caput est omnium Ecclesiarum, de Fide aliquid statui posse. Refert id Victor Uticensis lib. II de persecut. Wand. Igitur agnoscebat Episcopus Carthaginiensis, etiam post Concilium sextum Carthaginiense, Romanam Ecclesiam Caput esse

omnium Ecclesiarum, et si omnium, certe Africanarum quoque : nec a Romano Pontifice dissidebat, cui se scripturam profertur.

Non diu post, cum Trasimundus Hunerici successor omnes pene Africanos Episcopos, hoc est, 220, in Sardiniam relegasset, Symmachus Papa Romanus omnes illos Episcopos ut sua membra suis sumptibus pavit, ac fovit liberalissime, ut Paulus Diaconus scribit lib. XVII rer. Rom. quod certe non dissidii, sed communionis et conjunctionis est argumentum.

Eodem tempore S. Fulgentius Africanorum Episcoporum facile princeps, cum Romana Ecclesia conjunctissimus fuit, ut ex cap. 12 vitæ ipsius constat : nam cum in Ægyptum proficisci vellet ad solitudines Monachorum, admonitus est ab Episcopo Syracusano, ne id faceret, propterea quod illi omnes Monachi a Sede B. Petri disjuncti essent, cum qua ipse communicaret. Itaque relicto Ægypto Romam venit ad invisenda Sanctorum loca. Idem vero Fulgentius, ut ex cap. 29 vitæ ipsius ab ejus discipulo fideliter scripte colligitur, cum Ecclesia Carthaginiensi, et ejus Episcopo conjunctus erat, ex quo efficitur, ut etiam Episcopus Carthaginiensis cum Romano conjunctus esset : nec enim S. Fulgentius duobus inter se non communicantibus jure communicare potuisset.

Post ea tempora, B. Gregorius conjunctionem suam cum Episcopo Carthaginiensi, et jus appellationis, et jurisdictionem in eas omnes provincias manifeste declarat, lib. I, epist. 72 et 73 et lib. VII, epist. 32.

Sed contra objicit Illyricus epistolam Bonifacii II, ad Eulalium Alexandr. Episc. et epistolam Eulalii Episcopi Carthaginiensis ad eundem Bonifacium. Ex quibus epistolis colligitur, post Concilium Carthaginiense VI per annos centum separatos fuisse Carthaginienses Episcopos a communione Romanæ Ecclesiæ, et tum demum reconciliatos, subiciente se Eulalio Apostolicæ Sedi, et anathematizante antecessores suos.

Respondeo primum : valde mihi eas epistolas esse suspectas ; nam in primis pugnare videntur cum iis, quæ diximus de conjunctione Augustini, Eugenii, Fulgentii, et aliorum Africanorum cum Romana Ecclesia. Deinde Eulalius Alexandrinus, ad quem Bonifacius scribere videtur, nullus fuit aut certe eo tempore non fuit, ut patet ex Chronol.

Nicephori Constantinop. Præterea Bonifacius significat in Epistola sua, Justino imperante se scribere, at Justinus obierat antequam Bonifacius sedere inciperet, ut ex historiis omnibus constat. Ad hæc, epistola quæ Bonifacio adscribitur, tota fere constat ex duobus fragmentis, quorum alterum sumptum est ex epistola Hormisdæ Pontificis ad Joannem, alterum ex epistola S. Gregorii ad Episcopos Gallie, quæ est 52, lib. IV. At S. Gregorius eo tempore nondum erat natus, neque credibile est, Gregorium a Bonifacio illa verba sumpsisse, siquidem stylus omnino Gregorianus est.

In epistola etiam, quæ Eulalio Carthaginiensi tribuitur, quedam sententia Gregoriana inseritur ex lib. IV, epist. 36. ad Eulog, et reliquum ejus epistolæ nihil est, nisi fragmentum epistolæ Joannis Episcopi Constantinopolitani ad Papam Hormisdam.

Sed si forte epistolæ istæ veræ sunt (nihil enim affirmo) sine dubio non in eum sensum accipiende sunt, quasi omnes Eulalii prædecessores usque ad Aurelium Carthaginiensis Concilii Præsidentem a Romanæ Ecclesiæ communionem disjuncti fuerint: id enim repugnat certissimis et verissimis historiis; sed id solum significant, Aurelium primum contra Romanam Ecclesiam superbi cepisse, deinde ejus exemplo ipsum Eulalium, et forte aliquos alios: cæterum Eulalium, cognita veritate, iterum se Romanæ Ecclesiæ obedientiæ subjecisse, id enim solum ex epistolis illis colligitur.

CAPUT XXVI.

Idem probatur ex eo, quod summus Pontifex a nemine judicatur.

Argumentum Decimum sumitur ex eo, quod Romanus Pontifex a nemine in terris judicari potest. Non enim potest evidenter ostendi principatus ejus, quam si ostendatur ita omnibus prælatus, ut nemini sit subiectus. Sunt autem tria observanda, antequam ad probationem veniamus.

Primo, nos hoc loco non disputare de Pontifice, ut est Princeps temporalis: hoc enim modo, ne adversarii quidem negant,

eum non posse judicari in causis temporalibus; est enim commune omnibus absolutis Principibus, ut nullum agnoscant superiorum in negotiis temporalibus. Loquimur ergo de Pontifice ratione solius Pontificatus, ac dicimus, eum, etiamsi diuonem temporalem nullam haberet, non posse ullo modo judicari in terris ab ullo Principe Christiano, sive seculari, sive Ecclesiastico, neque ab omnibus simul in Concilio congregatis.

Observandum est secundo, duos fuisse errores de hac re. Unum eorum qui docuerunt, Pontificem posse ab Imperatore judicari, puniri, deponi, si non fungatur recte suo munere. Ita quondam Marsilius de Padua apud Joan. de Turrecremata lib. IV Sum. de Eccl. part. 2, cap. 37. quem errorem prolixè refellit idem Auctor lib. II, cap. 93. et seq. Alter est error Nili, in suo lib. de Prim. qui Pontificem non quidem a Principe seculari, sed tamen a Concilio Episcoporum judicari et puniri posse contendit. Porro Calvinus lib. IV Instit. cap. 7, §. 19. et cæteri hujus temporis hæretici, utrumque errorem simul conjungunt, et tam Principum, quam Episcoporum judicio Pontificem Romanum subiciunt.

Observandum est tertio, rationem præcipuam, cur Papa judicari non possit, esse, quia Princeps est Ecclesiæ totius; et proinde superiorum in terris non habet: nam quia summus Princeps est Ecclesiæ, non potest judicari ab ullo Ecclesiastico Antistite: et rursus quia Respublica Ecclesiastica spiritualis est, ac proinde major ac sublimior quavis Republica temporalis; propterea summus Princeps Ecclesiæ dirigere et judicare potest summum Principem Reipublicæ temporalis, non autem ab eo dirigi, aut judicari debet, nisi rectus ordo, et ipsa rerum natura pervertatur: Hæc, inquam, est ratio primaria, et ut Scholæ loquuntur, a priori: tamen quia hæc ratio assumit id quod in tota hac disputatione probare nitimur, videlicet, Romanum Pontificem Principem esse totius Ecclesiæ; ideo hæc et similibus rationibus prætermittis, ex testimoniis Conciliorum, Pontificum, Imperatorum, ac Doctorum Ecclesiæ demonstrabimus, Romanum Præsulem judicari non posse, ut inde confirmemus primariam nostram thesim, quæ est, Romanum Pontificem Caput et Principem esse Ecclesiæ universæ.

Probatur ergo primo ex Conciliis. In Concilio Sinuessano dicunt Patres: «Prima Se-

des a nemine judicabitur.» Refert hæc verba ex isto Concilio Nicolaus in epist. ad Michael. Item in Concilio Romano sub Sylvestro 280 Episcoporum, can. ult.: «Neque ab Augusto, neque a Regibus, neque ab omni Clero, neque a populo judicabitur prima Sedes.» Hujus decreti meminit idem Nicolaus in epist. ad Michael. Item in Synodo Romana sub Sixto III, cap. 5. legimus dictum: «Non licet in Pontificem sententiam dicere.» Et Sixtum, qui accusabatur, respondisse: «Et si in meo arbitrio sit, judicari an non judicari; tamen non abscondatur veritas.»

Cum Dioscorus Episcopus Alexandrinus in Synodo II Ephesina Leonem I judicare, et damnare ausus esset: ita hoc factum exhorruit Catholica Ecclesia, ut Concilium Chalcedonense, in epist. ad Martian. et Valentin. Imper. et in altera ad ipsum Leonem, quæ habetur act. 3. ejusd. Conc. scripserit, se damnasse Dioscorum multas ob causas, sed præcipue, quod in primam Sedem sententiam ferre presumpsisset. In Concilio V sub Symmacho, recipitur liber Eranodii Diaconi, in quo inter alia scriptum erat: «Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed Sedis istius Præsulem, suo sine questione reservavit arbitrio.»

Concilium Romanum sub Adriano Papa II, cujus verba referuntur in VIII Synodo, act. 7. sic ait: «Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse, non legimus: quod sane de legitimo judicio intelligendum est. Et Concilium ipsum VIII, act. 10, can. 21. asserit, non licere ulli terreno Principi judicare Patriarchas, et in primis Romanum. Denique in Concilio Milevitano can. 19. puniuntur gravissime Clerici, qui ab Imperatore judicari volunt. Si ergo Imperator Clericos judicare non poterat, quanto minus Pontificem?»

Secundo probatur ex testimoniis Pontificum. Gelasius in epist. ad Anastas. Imper.: «Duo sunt, inquit, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus in divino sunt reddituri examine rationem. Nosti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem.» Greg. lib. IX, epist. 39. ad Theotistam: «Si beatus Petrus, inquit, cum a fidelibus culpam-

tur, auctoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere poterat, ut pastorem suum oves reprehendere non auderent.» Nicolaus I in epist. ad Michael.: «Satis, inquit, evidenter ostenditur, a seculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, id est, nec damari, nec absolvi.» Innocentius III in epist. ad Imp. quæ habetur cap. Solite, tit. de Majorit. docet hoc idem ex professo. Et in serm. 2. de consecrat. Pontif. Similiter Bonifacius VIII in Extravaganti Unam sanctam. Et Johannes XXII in Extravaganti Licet juxta doctrinam Apostoli.

Tertio probatur ex confessione Imperatorum: nam de Constantino scribit Rufinus lib. X hist. cap. 2. eum noluisse Episcopos judicare, sed dixisse, se potius ab Episcopis judicari debere. Similis est confessio Basili Imperatoris in Orat. quam habuit ipse in fine VIII Synodi. Et inter cætera monet omnes laicos, in quorum ordine se anteposuerat, ne velint judicare judices aut pascere suos pastores. Denique, Nicolaus in epist. ad Michael. multis allatis testimoniis, probat, pios Imperatores nunquam Pontificibus imperasse, sed obsecrasse solum ut Patres, si quid ab eis fieri voluissent.

Accedit postremo sanctorum Doctorum pauca testimonia. Ambrosius in Orat. de tradend. Basilic.: «Bonus, inquit, Imperator intra Ecclesiam est, non supra Ecclesiam.» Certe si non est supra Ecclesiam, multo minus supra Ecclesiam Patrem et Pastorem.

Gregorius Nazianzenus in Orat. quæ se excusat, quod tamdiu ab Ecclesiastica functione se abstinuerit: «Vos, inquit, oves, nolite pascere pastores, neque super terminos eorum elevemini. Satis enim est vobis, si recte pascimini, nolite judicare judices, nec leges feratis legislatoribus.» Ac ne putes, a Gregorio excipi Principes; audi quid idem Doctor dicat in Orat. ad cives timore percussos, et Principem irascentem; sic enim alloquitur Præsidentem: «Num vocem suscipitis liberam? et quod lex Christi vos meæ potestati, meoque subiecit tribunali? Imperamus enim et ipsi, addo, et imperio majori et perfectiori. Suscipe igitur vocem liberiozem, scio te orem esse gregis mei etc.»

S. Bernardus in epist. ad Conradum Imper.: «Legi, inquit, omnis anima potestibus sublimioribus subdita sit. Quam sententiam cupio vos custodire in exhibenda reverentia Petri Vicario, sicut ipsam vobis

vultis ab universo servari Imperio. » Bonifacius martyr apud Gratianum, distinct. 40. can. Si Papa, de Romano Pontifice loquens, ait : « Cunctos judicatus a nemine est judicandus. » Denique Hugo de S. Victore par. 2. de Sacram. : « Spiritualis potestas, inquit, judicat terrenam, ipsa vero a Deo primum instituta est, et cum deviat, a solo Deo judicari potest. »

CAPUT XXVII.

Solvuntur argumenta Nili.

Superest ut argumenta solvamus. Primum Nili, deinde Calvini, postremo, quæ ex veteribus hæreticis, Joan. de Turrecremata et alii attulerunt.

Sed antequam argumenta Nili proponamus, lectorem monendum censuimus, ne Illyrici interpretationi nullum fidat : nam cum alibi, tum in hoc præcipue capite, non semel depravat verba Nili. Sit exemplo initium hujus loci ; Nilus sic habet : *ὅτι διὰ τῆς ἀναρχίας αὐτοῦ ἵπ' οὐδένος ἀναρρίσεται, τοῦτο καὶ ψεύδος, καὶ τοὺς τῶν ἀποστόλων ἔργα οὐ συμβαίνει*, hoc est : « Quod autem omnes judicans, ipse a nullo judicetur, id est falsum est, et moribus Apostolorum non convenit. » Illyricus autem sic reddidit : « Quod blaterant adversarii, Papam omnes judicare, ipsum vero a nemine judicari debere, nomine ac vanitate et mendacio plenissimum est, et ab Apostolorum æquabilibus modestisque canonibus plurimum dissonat. » At certe *Blaterant* non est in Greco. Et quod Nilus simpliciter falsum dicit, Illyricus pro sua fauciā : « Nomine, vanitate et mendacio plenissimum esse, » ait. Denique : « Mores Apostolorum, fidelis interpres, Æquabiles et modestos canones Apostolorum, » reddidit : nec advertit id cum sequentibus verbis pugnare ; nam probaturus Nilus quod dixerat, non canones, sed facta Apostolorum recenset.

Sed his omissis, Nili rationes videamus. Primo, si Paulus, inquit, confert suam doctrinam cum Apostolis, et Petrus se acriter objurgari a Paulo patienter tulit : quo jure Papa Romanus nulli mortalium de factis vitæque sua rationem reddere vult ?

Respondeo : Pauli exemplum pro nobis facit, ideo siquidem ad Petrum occurrit, et cum eo contulit Evangelium, quia Petrum majorem se agnoscebat, et exemplum posteris dare volebat, ut ad Petri Sedem in ejusmodi rebus accederent. Notatur hoc Hieronymus ex nostris in epist. ad August. que est 11. inter epist. August. et Theodoretus ex Græcis in epist. ad Leonem. Porro, Petrus objurgari se a Paulo passus est, quod esset illa non judicialis censura, sed fraterna correptio. Nam, ut Augustinus docet in ep. 19. ad Hieron. et Gregorius hom. 18. in Ezech. non reprehendit Peulus Petrum, quomodo majores de minoribus ex auctoritate judicant, sed quomodo minores interdum majores suos ex charitate corripunt.

Objectione secunda. Honorius Papa Romanus a sexta Synodo non solum judicatus, sed et damnatus est.

Respondeo : de Honorio alio loco fusius disseremus, cum ad eam questionem pervenerimus, an Papa hæreticus esse possit. Interim respondemus ; Honorium in causa Fidei judicatum atque damnatum esse, (si vera tamen sunt quæ de eo feruntur) neque nos negamus, quin Pontificem hæreticum Ecclesia judicare possit. Quemadmodum autem id cohareat cum eo quod dicimus, Papam a nullo judicari posse, in postremi argumenti solutione patebit.

Tertia. Multæ sunt leges late de Episcopis, cum ab Apostolis, tum a Conciliis, quæ certe omnes Episcopos ligant : atqui Papa nihil est aliud quam Episcopus ; igitur teneri legibus, proinde superiorem habet a quo judicetur.

Respondeo : Papa tenetur quidem Ecclesiasticis legibus, sed quoad directionem, non quoad coactionem, ut Jurisconsulti de Principe loqui solent. Quamvis autem Concilia tam generalia, quam particularia interdum de Episcopis univere loquantur, eum leges ferunt : tamen de iis Episcopis solum intelligi debent, qui subjecti sunt Legislatori : id quod ex Conciliis particularibus planum fieri potest. Ea siquidem Concilia sæpe dicunt : « Si quis Clericus, si quis Episcopus id fecerit etc. » et tamen constat, legibus illis non ligari, nisi Clericos, aut Episcopos ejus provincie.

Quarta. Sexta Synodus generalis nominatim Romanæ Ecclesiæ legem præscribit : nam can. 13. reprehendit Ecclesiam Romanam, quod Presbyteris, et Diaconis, ac Sub-

diaconis usum uxorum non permittat, atque imperat, ut deinceps permittat. Et can. 55. reprehendit eandem Ecclesiam Romanam, quod in Quadragesima etiam Sabbato jejunet, ac præcipit, ne id amplius fiat.

Respondeo : jam ante monuimus, canones istos falso adscribi sextæ Synodo, cum editi fuerint postea a nona quadam Synodo, quam Romani Pontifices non modo non approbaverunt, sed etiam reprobarunt. De qua re vide Franciscum Turrianum in lib. de VI Synod. et Melchiorum Canum lib. V de loc. cap. post. in solut. argum. 6.

Et sane isti ipsi duo canones satis aperte indicant, qualis fuerit ea Synodus. Nam can. 13. dicunt, Apostolorum et vetustatis doctrinam se proponere, cum uxorum contubernium Clericis permittit ; quod certe falsissimum est. Nam Concilium Carthaginense II, longe antiquius, et celebrius ista falsa Synodo VI, can. 2. sic ait : « Omnibus placuit, ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitia custodes, etiam ab uxoribus se abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. »

Item Epiphanius Græcus, atque antiquissimus et probatissimus auctor, heres. 19. quæ est Catharorum : « Sed, inquit, adhuc viventem et liberos gignentem unius uxoris virum, non suscipit (Ecclesia) sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Presbyterum, Episcopum, et Hypodiaconum, maxime ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, et Diaconos, et Hypodiaconos, at hoc non est juxta canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit. »

At, inquit Nilus, sexta Synodus citat canonem sextum Apostolorum, qui præcipit, ne Clerici uxores abjiciant, prætextu religionis.

Respondeo : præcipi eo canone, ut Clerici qui uxores habent, eis provideant quæ ad victum necessaria sunt : non autem ut eis cohabitent commercio maritali. Quam explicationem reosare non potest Nilus : tum quod ita eundem canonem exponat Synodus ipsa Trullana can. 48, tum etiam, quia alioqui iste idem Apostolicus canon pugnabit cum canonibus illis Trullanis, quorum auctoritas nobis objicitur. Nam canon Apostolorum non solum Clericis minoribus, sed etiam Episcopis præcipit, ne uxores abji-

ciant : et tamen canones Trullani, Clericis minoribus uxoris commercium permittunt, Episcopis non permittunt. Sed de hac re alibi plura.

Quod vero attinet ad canonem de jejunio Sabbati, cum res sit indifferens, et quævis regio morem suum servare possit, ut Hieronymus docet in ep. ad Lucin. Bætie. et Augustinus in ep. 86. ad Casulan. non debuit, nec potuit Concilium Græcorum legem ponere Latinis de hac re. Adde, quod ad nos facit Innocentius I in ep. qui Sabbato jejunandum esse docet, necnon Epiphanius Græcus, qui in compend. doctr. solum excipit Dominicas a jejunio Quadragesimæ.

At Canon. 65 Apostolorum, vetat Sabbatis jejunare. Respondeo : canonem istum suppositivum videri ; solum enim quinquaginta canones Apostolorum Ecclesia recipit, ut Humbertus Cardinalis testatur in lib. adv. Nicetam, et habetur apud Gratianum dist. 16. Deinde, si vere Apostoli id jusserunt, jusserunt certe in odium hæreticorum, qui Sabbato jejunabant, ne Creatorum honorare viderentur, qui die septima requievit. Illa igitur hæresis jam extincta, jejunare licet etiam die Sabbati : nec solum licet, sed etiam pium est, ob memoriam Dominicæ sepulture, et ut longius recedamus a Judaismis.

Quinto objicit contra solutionem dupliciter. Primo, quia etiamsi canones isti non essent legitimi, tamen ratio ipsa manifeste docet, Papam judicari posse ; omnes enim Episcopi ut Episcopi æquales sunt, ut ex Dionysio patet, qui dicit, omnes esse ejusdem ordinis et dignitatis : atqui Papa nihil est amplius quam Episcopus, ut constat tum ex eo quod ab Episcopis ordinatur, tum ex eo quod Dionysius nullam agnoscit in Ecclesiastica Hierarchia dignitatem Episcopali majorem ; Papa igitur non minus tenetur legibus Conciliorum, et judicari potest, quam Episcopi cæteri.

Secundo, quoniam canones illos esse legitimos, et universales Synodi, multis modis demonstratur. Primum, quoniam Synodus quæ hos canones condidit, est ipsa sexta Synodus instaurata : iidem enim Patres, qui ad fidem explicandam initio convenerant, iidem convenerunt postmodum ad canones condendos. Secundo, quoniam non defuit in hac Synodo legatio Papæ Romani : siquidem Gortynæ in Creta Episcopus locum Romani Pontificis tenuit, ut ex historia Basilii per-

spici potest. Tertio, quoniam Synodus quæ hos canones condidit, universalem Synodum seipsa appellat, nec est credibile, tot Patres mentiri voluisse. Quarto, quoniam septima Synodus can. 4. recipit canones sex universalium Synodorum: at sexta Synodus non habet alios canones quam istos. Quinto, quoniam Adrianus Papa in epist. ad Tharas. cum admiratione Tharasiarum laudat, quod constanter una cum suis hæc decreta observaret, et nominatim citat can. 82. ex quo sequitur, ab ipso etiam Romano Pontifice hos canones esse confirmatos.

Respondeo: primam illam rationem de Episcoporum æqualitate nihil omnino concludere: nam Episcopi pares sunt ratione ordinis, ut Dionysius dicit, non tamen ratione jurisdictionis; siquidem ipse etiam Nilus in hoc eodem libro affirmat, Episcopum Constantinopolitanum longe majorem esse Casariensi, aliisque qui Sedi Constantinopolitaneæ subjecti sunt. Porro, summus Pontifex non ideo iudicari non potest, quia dignitatem vel ordinationem habeat Episcopali majorem, sed quia Episcopalem jurisdictionem amplissimam habet, ita ut omnibus præsit, nulli subjectus sit. Neque canones Trullanos legitimos esse illa argumenta recte probant.

Ad primum respondeo: non posse dici hanc Synodum sextam instauratam; nam non fuerunt iidem Concilii Præsides, non idem Imperator, non idem numerus Episcoporum. Nam in sexta vere universali adfuit Imperator Constantinus, item Legati Papæ Agathonis, et Episcopi 289, ut habemus in VI Synodo act. 3. at tempore istius pseudosextæ, jam obierant Agatho Papa, et Imperator Constantinus, et Episcopi fuerunt solum 227.

Præterea, initio pseudosextæ ipsimet dicunt, se V et VI Synodum quodammodo instaurare; et ideo Theodorus quodammodo tam sextum, quam quinseximum Concilium hoc appellat. At quomodo poterit hæc Synodus dici, vel credi quinta instaurata, cum nullus omnino ex quinta Synodo hic interfuerit? Siquidem inter quintam et quinsextam interesserunt anni plus quam 130. Denique quorsum instaurandæ erant quinta et sexta Synodus, et non potius nova Synodus convocanda? Quoniam, inquit, illæ canones non fecerunt. At nec tacere voluerunt: non enim ad canones condendos, sed ad Fidem explicandam convocata fuerant.

Ad secundum respondeo: quis ille Episcopus Gortynensis fuerit, et quis ei dederit in Synodo locum Papæ Romani, Nilus videtur: quod enim nomen ejus non exprimat, quodque historiam adducat omnino incognitam, nescio ejus Basilii, non caret suspitione falsitatis. Sed quidquid de hoc sit, nobis constat, a Sergio Papa, qui tunc sedebat, hanc Synodum tanquam errantem fuisse reprobata, ut testantur Beda, de sexat. in Justin. jun. Paulus Diaconus lib. VI de gest. Longobard. cap. 4. Otho Frisingensis l. V, c. 13. Ado Viennensis, Marianus Scotus, et Rhegino in Chron. ubi de Justiniano juniore loquuntur.

Esse autem hanc Synodum quam Sergius reprobavit illam ipsam, quæ istos canones condidit, patet ex Tharasio et Epiphano, qui in VII Synodo act. 4. et 6. dicunt, quinque annis post sextam Synodum iterum Patres convenisse, et hos canones condidisse: porro illo tempore constat, Sergium Romæ sedisse. Nec exstat memoria ullius alterius Synodi eo tempore celebratæ, de qua re fusius agemus in lib. de Conc.

Præterea Anastasius Bibliothecarius præfat. in VI Synod. scribit, hos canones non haberi, nec apud Romanos Pontifices, nec apud illos Patriarchas, excepto Constantinopolitano. Ex quo ipse recte colligit, nec summi Pontificis, nec aliorum Patriarcharum auctoritate, Synodum istam coactam fuisse. Denique, Humbertus Cardinalis Leonis IX Legatus in lib. cont. Græc. istos eosdem canones, non solum non recipi dicit ab Apostolica Sede, sed etiam aperte deliramenta appellat.

Ad Tertium respondeo: non esse adeo mirandum, si ementitum titulum isti Patres sibi adscribant, cum se universalem Synodum appellant. Sciebant, non se posse ullo colore Romanæ Ecclesiæ leges præscribere, nisi se Synodum universalem facere mentiantur. Deinde, cum in can. 2. recipiant Synodum sub Cypriano habitam, quæ palam erronea ab universa Ecclesia iudicata est, et can. 19. tam aperte mentiantur, usum uxorum ex Apostolica consuetudine Sacerdotibus permitti, et alia per multa habeant manifeste falsa, quid mirum, si etiam in titulo mentiantur?

Ad quartum respondeo: cum in VII Synodo recipiuntur canones sex universalium Synodorum, nomine canonum non intelligi solum canones de moribus, sed universe ca-

nones, sive de moribus, sive de Fide conditi fuerint: nam omnes Synodi hæc ratione canones condiderunt. De moribus autem, seu de disciplina Ecclesiastica, sola Nicæna Synodus canones proprie condidit: Nam II et IV Canones quidem quosdam ediderunt, sed non fuerunt ab Apostolica Sede approbati, ut constat ex Conc. Chalced. act. 16. proinde non sunt illi proprie canones dicendi generalium Synodorum. Tertia vero Synodus, quinta et sexta, nullos omnino canones de moribus condiderunt.

Ad Quintum respondeo: ab Adriano commendari Tharasiarum, quod vidisset eum rectam Fidem custodire juxta decreta sex generalium Synodorum: quod vero de his canonibus Synodi quinsexte in epistola Adriani habetur, ex epistola Tharasi recitatur, et quamquam eo loco id ab Adriano non refellitur, quia non erat opportunum tempus id faciendi, tamen non continuo approbatur. Sed quod Adrianus non fecit, fecit postea Nicolaus in epist. ad Mich. ubi cum quemdam ex his canonibus citare vellet, ait, se ab Apostolo didicisse, etiam Ethnicorum testimonio uti quando opus est.

Sexto ac postremo Nilus objicit, intolerabile esse, quod Romanus Papa sanctorum Patrum canonibus subjici nolit, cum ipse a Patribus dignitatem suam habuerit, et ipse etiam multos ediderit canones, et tandem indignus sit, qui tanquam Pater honoretur, cum tam multos sanctos Patres contemnat.

Respondeo: istas ipsas rationes probare, non posse Papam subjici canonibus, nam non habuit a Patribus, sed a Christo dignitatem suam, ut supra demonstratum est; proinde Christo non Patribus subjici debet. Deinde cum ipse canones condidit; signum est, eum Principem et Legislatorem esse: non potest autem Princeps suis legibus obligari, cum non sit ipse seipso superior, et solum a superiore inferioribus leges ferantur. Denique, si ipse tanquam Pater ab omnibus honoratur, non habet ipse ullos in Ecclesia Patres, sed omnes filios: quid vero mirum est, si non pater filiis, sed filii patri suo subjiciantur? Adde, quod Papa, nec Patres, nec eorum canones contemnit, quamvis iis cogi non possit, sed et ipse utitur iis, quoad directionem, et ab aliis servari jubet.

CAPUT XXVIII.

Solvuntur objectiones Calvinii.

Jam vero Calvinus, ubi reprehendit quod dicimus, Pontificem a nemine iudicari, nimirum, lib. IV Instit. cap. 7, §. 19, 20 et 21, nullum argumentum proponit, quod sit proprium hujus loci, sed tantum dicit, posse colligi ex Conciliis, ex historiis, et ex Veterum scriptis multa, quibus Romani Pontifices in ordinem cogantur. Interim tamen nihil ei ex tanta copia testimoniorum decerpere placuit.

Quod vero adfert de nomine summi Sacerdotis et Episcopi universalis, ad sequens caput pertinet. Alio tamen loco, videlicet l. IV, cap. 14, §. 12. producit in medium aliquot loca S. Gregorii, qui cum Romanus Episcopus esset, tamen Imperatorem dominum suum agnoscebat. Nam lib. III, epist. 61. Sere-nissimum dominum suum Imperatorem, se vero indignum ejus servum appellat. Et ibidem obedientiam se ei debere ingenue confitetur. Item lib. IV, epist. 31.: « Sacerdotibus, inquit, non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. » Quo loco de seipso Gregorius loquitur, et inter eos se numerat, quibus affirmat Imperatorem dominari. Item epist. 34.: « In omnipotente Deo confido, quod longam piis dominis vitam tribuet, et nos sub manu vestra secundum suam misericordiam disponet. »

Respondeo: quod S. Gregorius servum se Imperatoris nominet, mirum videri non debet: nam, ut scribit Joannes Diaconus l. IV vitæ ipsius cap. 58. omnes sacerdotes fratres, omnes clericos filios, omnes laicos dominos suos vocabat; nec tamen inde colligere licet, ab omnibus laicis Gregorium iudicari potuisse. Quod vero attinet ad obedientiam et subjectionem, qua humilitate se servum Imperatoris dicebat, ex eadem petitiones ejus tanquam mandata, et imperia accipiebat. Neque id abhorret a communi usu loquendi, ut obedire nos dicamus, cum id

facimus quod alter cupit, etiamsi ille nec jusserit, nec forte jubere potuerit.

Adde, quod non sine causa Gregorius ita humiliter cum Imperatore loquebatur : si quidem eo tempore Imperator dominium temporale in urbem Romanam obtinebat, et Gregorius ejus ope et amicitia vehementer indigebat, ut tam ipse, quam bona temporalia Ecclesie suae, et populus Romanus a Longobardorum gladiis et furore defenderent. Multum etiam in administranda Republica ipsa temporali Imperator qui procul aberat Gregorii opera utebatur, ut ex epistolis allegatis perspicui potest, et certe de his rebus, quas Imperatoris nomine Gregorius faciebat, eidem Imperatori rationem reddere tenebatur.

Absolute tamen, si personam cum persona comparemus, Imperator ovis erat, Pontifex pastor; proinde Imperatorem Pontifex iudicare, non Pontifex ab Imperatore iudicari debebat, ut ex eo clarissime colligi potest, quod pios Imperatores pii Pontifices saepe iudicarent, ut Philippum Fabianus, Theodosium Ambrosius, Arcadium Innocentius : nusquam autem Imperatores pii pios Pontifices iudicasse, aut eisdem imperasse leguntur, ut Nicolaus in epistola ad Mich. multis testimoniis probat. Neque id Gregorius aut ignoravit, aut tacuit : nam in illa ipsa epistola 31. libr. IV, quam Calvinus citat, etsi servum se Imperatoris dicat; tamen addit, debere Imperatorem sacerdotibus reverentiam exhibere : quod certe inferioris est, non superioris. Ibidem profert Constantini exemplum, qui Episcopos, etiam volentes et petentes, iudicare ausus non est. Quod exemplum profecto nunquam Gregorius protulisset, si ab Imperatore Pontificem iudicari debere credidisset.

Denique ibidem, cum ab Imperatore Gregorius simplex appellatus esset; non tacuit, gravem eo verbo sibi injuriam esse factam, cum idem simplex et fatuus significare videantur. At quanta, quasso, esset injuria, si dominus servum, et iudex reum simplicem appellaret? Intellegebat igitur S. Gregorius quam personam in Ecclesia gereret, et quae sibi ab Imperatore reverentia deberetur, etsi interim partim ex humilitate, partim ex necessitate se illi subiceret. Vide epist. 47. et 44. libri XI indict. 6. et expositionem ejusdem sancti Gregorii in psalmum CI, qui est

unus ex poenitentialibus, et videbis Maurium tyrannice imperasse, et obedientiam, quam illi S. Gregorius exhibebat, coactam fuisse et non debitam.

CAPUT XXIX.

Solvuntur alia novem argumenta.

Sequuntur nunc argumenta, quae ex veteribus haereticis Jo. de Turcremata, et alii quidem proponunt. Primum argumentum. Dominus ipse Jesus Christus Imperatoriam potestatem supra se agnovit, cum ait Pilato Joan. X : *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper* (1). Multo igitur magis Papa Romanus, qui se Christi Vicarium nominat, Imperatoria potestati subijci deberet. Confirmatur ex Augustino in hunc locum, ubi aperte docet, potestatem Pilati in Christum fuisse a Deo, juxta illud Apostoli : *Non est potestas nisi a Deo*, Rom. XIII (2). Item, ex Bernardo qui in epist. 42. ad Henric. Episc. Senens. « Dicit, inquit, si audetis, sui praesulis Deum ordinationem nescire, cum Romani praesidis potestatem Christus super se quoque fateatur fuisse celsitus ordinatam. »

Respondeo : Christum sine dubio non fuisse subjectum de jure ulli homini, cum esset Deus ac Dei Filius, sed tamen sponte se subjecisse propter nos Pilati iudicio, non committendo ei super se aliquam auctoritatem, sed tolerando humiliter eam, quam habuit de facto, non de jure. Id quod ostendit Matt. XVII cum rogatus tributum docuit primum se non teneri, et deinde jussit dari propter scandalum tollendum.

Ad locum illum Joan. XIX. dupliciter respondetur. Primum cum Cyrillo et Chrysostomo in hunc locum, loqui Dominum non de potestate jurisdictionis, sed de permissione divina, sine qua ne peccata quidem fieri possunt, ut sit sensus : « Non posses quidquam in me facere, nisi Deus permittere decrevisset, » de qua potestate intelligitur etiam illud Luc. XXII : *Hec est hora vestra, et potestas tenebrarum* (3).

Sed dices : Si de permissione Dominus lo-

quitur, quomodo statim subjungit : *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* (4)? Num Pilatum permisit Deus sententiam dicere in Christum, et Judaeos non permisit, ut illum Pilato traderent, et tamen invito Deo tradiderunt, et propterea magis peccaverunt? Respondeo : optime sequi posteriori sententiam ex priore, siquidem Dominus cum ait *Propterea*, non reddidit rationem solum cur Judaei magis peccarent quam Pilatus, sed etiam cur Pilatus ipse peccaret, etsi levius quam Judaei. Itaque hic est sensus eorum verborum. Quia non iustitia exigente, sed Deo solum permittente me crucifigis; propterea tu quidem peccas, sed magis tamen ille peccat, qui non solum iustitia non exigente, sed etiam odio impellente me tradidit tibi, toque clamoribus suis impulit, ut me crucifigeres.

Altero expositio est Augustini et Bernardi, qui docent, Christum loqui de vera potestate jurisdictionis, juxta quam sententiam optime etiam cohaerent cum superioribus illa verba : *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Est enim sensus : Tu me crucifigis, quia metuis offendere Caesarem, a quo habes tuam potestatem : et peccas quidem, quia magis Deo obedire deberes, quam hominibus; tamen magis peccat Judaeus, qui me tradidit tibi, quoniam ille non metu superioris potestatis, sed ex odio et invidentia me crucifigit.

Et quamquam prior expositio videtur magis literalis, tamen etiam haec posterior nihil habet adversum nos. Nam Pilatus dicitur habuisse in Christum potestatem, et revera habuit, non per se, sed per accedens; habuit enim ille per se potestatem in omnes Judaeos, qui Romano Imperio subjecti erant : porro Dominus oblati ei fuerat ut unus aliquis de numero privatorum Judaeorum; propterea etiam in ipsum ut sic oblatum potestatem habuit. Etsi enim suspicabatur Pilatus, Christum Dei Filium esse, non tamen ut Dei Filium, sed ut privatum Judaeum iudicavit. Quemadmodum si hoc tempore clericus quispiam mutato habitu Praetori offerretur iudicandus, posset Praetor ex auctoritate in eum animadvertere, et a culpa excusaretur, si ignorantia vere esset probabilis.

Argumentum secundum. Paulus Act. XXV Caesarem appellavit : *Ad tribunal*, inquit, *Caesaris sto, ibi me oportet iudicari*. Et infra :

Caesarem appello (2). Si Paulus Caesarem agnovit iudicem, certe etiam Petrus : pares enim Petrus et Paulus fuerunt.

Respondeo, Paulum appellasse ad Caesarem, quia de facto erat iudex ipsius, etsi non de jure. Ita enim respondet Joan. de Turcremata lib. II, cap. 96. Sum. de Eccl.

Addi potest quod appellavit ad Caesarem non tanquam superiorem Praesidis Judaeae, a quo accipiebat injuriam, neque enim aliter poterat liberare se ab injusto illi iudicio, nisi recurrendo ad superiorem Praesidem, et hoc ipse indicavit cum ait Act. XXVIII coactus sum appellare Caesarem.

Argumentum tertium. Paulus Rom. XIII. ait : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* ; Et Petrus I. Pet. II : *Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi tanquam excellenti etc.* (3) In quibus locis sermo est de saecularibus Potestatibus, et nullus excipitur a subiectione, non Clericus, non Episcopus, non Papa, cum dicatur : *Omnis anima subdita sit*. Neque responderi potest, loqui Apostolos solum de Principibus sui temporis, qui Ethnici erant : nam Ecclesia, quae easdem lectiones semper repetit, satis aperte indicat, Paulum et Petrum loqui de Principibus omnibus, qui erant, et qui futuri erant.

Respondeo : tam Petrum, quam Paulum loqui generaliter, et hortari omnes subditos, ut suis superioribus pareant, tam spiritualibus, quam temporalibus. Ex qua sententia non potest deduci, Papam subjectum esse Regi, sed solum eum qui est subjectus, debere suo superiori obedientiam.

Quod sententiae illae generales sint, probatur; nam Paulus ait : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Ubi non restringit sermonem ad Potestatem saecularem, sed de omni potestate loquitur. Neque obstat exemplum de Regibus, qui gladium portabant : nam diligentius et expressius voluit Paulus de Rege loqui, quia eo tempore accusabantur Christiani seditionis et rebellionis, a calumniatoribus. Quocirca in fine generaliter concludit : *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui honorem, honorem, cui timorem, timorem etc.* (4) Pari ratione Petrus generaliter loquitur : *Subiecti, inquit, estote omni humanae creaturae*, id est, omni creaturae potestatem habenti, quamvis mox exemplum ponat de Rege, et Ducibus, propter

(1) Joan. XIX, 11. — (2) Rom. XIII, 1. — (3) Luc. XXII, 53.

(1) Joan. XIX, 11. — (2) Act. XXV, 10. — (3) Rom. XIII, 1; I. Petr. II, 13. — (4) Rom. XIII, 7.